Carmen Apologeticum (Latin)

Commodian (3rd century)

SermonIndex.net / Church Fathers

Contents

Sections 1 to 240 **1**

Sections 241 to 480 **8**

Sections 481 to 721 **15**

Sections 722 to 961 **22**

Sections 962 to 1058 **29**

Sections 1 to 240

Commodiani Carmen Apologeticvm
Quis poterit unum proprie Deum nosse caelorum,
Nisi quem is tulerit * * ab errore nefando?
Errabam ignarus spatians, spe captus inani,
Dum furor aetatis primae me portabat in auras.
Plus eram quam palea levior; quasi centum inessent
In umeris capita, sic praeceps quocumque ferebar.
Non satis; his rebus criminosus denique Marsus
Paene fni factus herbas incantando malignas.

Sed gratias Domino — nec sufficit uox mea tantum
Reddere — qui misero uacillanti tandem adluxit!
Adgressusque fui tradito in codice legis,
Quid ibi rescirem; statim mihi lampada fulsit.
Tunc uero agnoui Deum (unum) summum in altis,
Et ideo tales hortor ab errore recedant.
Quis melior medicus nisi passus uulneris aestus?
Multi quidem bruti et ignoti, corde sopiti,

Nil sibi proponunt cognoscere; more ferino
Quaerunt, quod rapiant aut quorum sanguine uiuant.
Dummodo laetentur saginati uiuere porci,
Ingerunt ut tumulum ferculum, dum diuitiis plaudent.
f Mutabuntur paupera ueste fastidiis.
Sufficeret illis utique, quod promptius edunt.
Si pinguis est opibus, sibi sit; si Caesari dignus,
Quid sua praeponit fragilis nec respicit ullum?

Communicet immo talis bonitatem in omnes,
Cui Summus diuitias, honores addidit altos.
Nec enim uitupero diuitias datas a Summo,
Sed culpandus erit, qui superextollitur illis.
Suadeo nunc ergo altos sic et\’humiles omnes,

V t legant assidue uel ista uel cetera legis.
Aspic(it)e, quoniam breuis est nobis credita uita;
Discite, quapropter moriamur nati, prudentes!

Quid hebetes morimur, quid profuit lucem uidisse?
Si nihil inquiras, hoc est beluarum adesse.
Certe Deus summus hominem praeposuit aruis,
Non feram nec pecudem. Cur nos similemus ad illas? .
Omnipotens uoluit hominem sibi praebere laudes;
Idcirco futura docuit nos ipse diuinos.
Quae ut crederemus, non tantum uerbo sonauit,
Sed et demonstrauit fortia Pharaone decepto.

Non solum hoc fecit: et Noe sub tempora quoque
Ostendit, quae poterat, quoniam Deum nemo quaerebat.
Mitior exinde paulatim coepit adesse
Diluuio facto, quo posset terra repleri.
Iam paene medietas annorum sex milibus ibat,
Et nemo scibat Dominum, passimque uiuentes.
Sed Deus, ut uidit hominum nimis [ut] pectora clausa,
Adloquitur Abraham, quem Moyses enuntiat ipsum.

Ipse dedit legem populo Pharaone necato,
Et quis esset, Dominus ipse se praedixit ab illo.
Nec una contentus prophetica uoce se promit,
Sed multos adhibuit testes, qui de illo clamant.
Hunc ergo, cum legitis multorum praeconia uatum,
Inuenietis eum carnem inuenisse pro nobis.
Vnde nunc erratur, ordinasse talia Summum,
Et quasi subsannant, nec sciunt, quod ab ipso ridentur !

Interdum subicio, qualiter praelegi prophetas,
Et rudes edoceo, ubi sit spes uitae ponenda.
Quid Deus in primis uel qualiter singula fecit,
Iam Moyses edocuit; nos autem de Christo docemus.
Non sum ego uates nec doctor iussus ut essem,
Sed pando praedicta uatum oberrantibus austris.
Ergo mei similes, quos raptim aura deportat,
Quaerite iam portum, ubi sunt pericula nulla.

Agricola doctus tempestiva longe dinoscit
Et, priusquam ueniant, recolligit se sub antra.
Estote prudentes, quod imminet ante uidete
Et, priusquam ueniant clades, prouidete saluti.

Ignauia pueris opus est, non certe robustis:
Si decet hoc rudibus, non conuenit aeuo maturis.
Quae quidem pars hominum non sit moderata, uetusta
Sic erit ut perna minime salfacta: putrescat.

Nemo petram subicit, nisi solus ignis ad escam:
Saxei sic homines mollescunt sero gehenna.
Clamamus. in uacuum surdis referenda procellis
Et lumen offerimus caecis sine causa praebentes.
Stat miles ad missam: unus audit, et excutit alter
Nec accipit corde monita, sed perditus errat.
Quis modo delinquit (iudices estote de istis!),
Qui monet aut ille, qui non uult dicto parere ?

Spero, reus non est, qui Caesaris dictus obaudit,
Contrarius autem perdit suam uitam superbus.
Interdum quod meum est, qui prius erraui, demonstro
Rectum iter uobis, qui adhuc erratis inanes.
Vos tamen eligite, arbitrio uestro placentes,
Quis uelit uenenum aut suauia pocula uitae!
Bonum et malum est in ista natura creatum,
Vt homo post -fata probetur quis Deo dignus.

Adgredere iam nunc, quisquis es, perennia nosse:
Disce, Deus qui sit uel cuius nomine adsit!
Est Deus omnipotens, unus, a semetipso creatus,
Quem infra reperies magnum et humilem ipsum.
Is erat in uerbo positus, sibi solo notatus,
Qui pater et filius dicitur et spiritus sanctus. \'
Sed ex quo decreuit mundum conponere signis, :
Ignem interposuit metuendum angelis ipsis.

Quos tamen distribuit minoris potentiae factos,
Vt regerent caelos et terram et subdita terrae.
Hunc ergo nec ipsi nuntii dinoscere possunt,
Qualis sit aut quantus, nisi quod praecepta sequuntur.
Est honor absconsus nobis et angelis ipsis,
Quod Dei maiestas, quid sit, sibi conscia sola est.
Relucet inmensa super caelos et sine fine;
Aureum est totum, quod est quasi flammea uirtus.

Illic Dei uas est, tantum sine cognita forma,
Illa sunt secreta solo Deo nota caelorum.
Haec gloria Dei est unica super angelos omnes,

Hoc Deus est lucis aeternae, hoc spiritus aeui.
In primitiua sua qualis sit, a nullo uidetur,
Detransfiguratur, sicut uult ostendere sese.
Praebet se uisibilem angelis iuxta formam eorum
Et homini fit homo, ceterum Deus uerbo probatur.

Idcirco nec poterit tanti Dei forma dinosci;
Quidquid est, unum est, inmenso lumine solus;
Vbi facies, oculi aut os aut membra notantur,
Inde pugillo suo concludere circulum orbis.
At tamen cum uoluit sciri de se ipso qui esset,
Numine de tanto fecit se uideri capacem.
Sunt quibus in ignem apparuit uoce locutus;
Sumptus est in carnem, quem regio nulla capebat.

Hic Deus omnipotens, Dominus suae conditionis, .
Cum sit inuisibilis, facit se uideri quibusdam.
Qui formatur modo, (modo) se diffundit in auras,
Cuius nec initium nec finem quaerere fas est.
Hic sine initio semper est Deus et sine fine,
Qui, prius quam faceret caelum, ferebatur in aeuum;
Quicquid tenet caelum, prospicit ubique de caelo
Et penetrat totum oculis et auribus audit.

Huic ergo placuit carnalem mundi tenorem,
Vt exaltaretur sola sempiterna maiestas.
Nam, quod erat ante, referre nunc ardua res est;
Sit licet descriptum, non sit nobis cura de illis.
Cum haec, quae uidemus, non possumus tangere tota,
Quis poterit scire, quid sit trans Oceani finem?
Et caelum uidemus, sed illic quid intus agatur,
Nullo datur scire, donec fiat exitus aeui.

Sufficiat tantum de futuro nosse promissa;
Ad illa tendamus cupidi, tota mente deuoti.
Sicut auis Phoenix meditatur a morte renasci,
Dat nobis exemplum, post funera surgere posse;
Hoc Deus omnipotens uel maxime credere suadet,
Quod ueniet tempus defunctorum uiuere rursum;
Sit licet nunc puluis, iaceant licet ossa nudata,
Integratur homo, [ut] fuerat qui mortuus, olim,

Et gratia maior tunc erit (quam) istius aeui,
Non dolor nec lacrimae tunc erunt in corpore nostro,

Non caro recipiet ferrum, non pustula surget.
Hoc Deus instituet, ut sit illi gloria maior. ,
Hic fecerat primum hominem, ut esset aeternus,
Sed ruit in mortem neglectis ille praeceptis.
Propter quae storias tantas Deus esse parauit,
Vt inuentiones diabuli detergeret omnes. I

Rectorem in terra dederat Deus angelum istum:
Qui, dum inuidetur homini, perit ipse priorque.
Interea iustos per ipsos cernit ad actus,
Et facinerosum Cain in gehenna reservat.
In scelere coepit uersari gens omnis humana,
Nec respicientes, quis esset creator eorum.
Quod Deus excelsus indigne pertulit illud,
Delere proponit uniuersa paene creata.

* Dicitur et legitur Noe liberatus ab aqua,
Ceteri diluuio perierunt in caelesti.
Hinc, sicat initio, paulatim terra repletur.
Cessit. prios facinus, sed alter(a) clades adhaesit.
Adgressi sunt stulti torrem fabricare sub astris,
Vt quasi per illam possent ascendere caelos.
Quod Deus ut uidit fieri sub nna loquella,
Descendit et fecit., loquerentur lingua diuersa.

Quos inde disparsit per insulas terrae semotos,
Vt fierent gentes nario sermone loquentes.
Tunc genus indocile uitam feritatis agebat;
Nemo Deum sciebat, disputabat nemo de uita.
Inrepserat quoniam rudibus temerarius ille
Per latices animae, deprauauit mentes acerbas
Persuasitque dolo coitus infandos amare,
Viuere rapinis in gaudio sanguine fuso.

Hanc gloriam stulti prosequuntur tempore parvo;
Quo nulla uenia liberat, se dicendo seductos.
Si suadet adulter, culpa est tua prosequi talem;
Non ille te damnat, sed tu tua sponte te damnas.
Errabant indocti ueteris fallacia hostis,
Obliti Dominum, opera maligna sequentes.
Quod diu ne fieret grassatio tanta latronis,
Tempore partito miseratus est tandem ablato.

Conplacuit illi conloqui cum uno de multis,
Vt faceret populum ad se transeundo dilectum.
Ex eo coeperunt unum Deum nosse profani
Et fieri populus secundum Dei decreta.
Duos enim populos distinxerat ex se Rebecca:
Hic prior est factus, alter ut succederet illi.
In Aegypto primum Israhel concrevit alumnus;
Inde Deus illos eiecit duce Moyse,

Per quem dedit illis legem in monte Sina,
Vt nostra posteritas Dominum cognosceret. unum.
Deinde prophetas ex ipsis dicere iussit,
Quod Deus in hominem depretiatur ab illis.
Induxerat eos Dominus in terra promissa,
Vt ibi sub lege uiuerent, donec ipse ueniret.
Gens ingrata bonis noluit iugum ferre praeceptis,
Sed magis in scelere prisco reuoluta florebat;

Nec umquam. desinuit: hodie quoque talis habetur;
Praetermisso Deo luxurias saeculi mauult.
Quod maxime Dominus cogit euitare dilectos;
7 Abscisos in totum a saeculo praemonet esse.
Si filios dixit, in illius sancta moremur;
Quid foris egredimur adulteri pompa(m) sequentes?
Seductor antiquus per talia decipit omnes:
Inmittit luxurias, per quas perdat filios Alti; .

Agonia inmittit, spectaculis ire cruentis
Aut nimis obscenis, inpudica nosse pudicis.
Si fuerat castus, incestus proficit inde
Et placent adrident, quae tunc mala gaudia temptant.
In istis luxuriis populus primitiuus agebat
Et a lege Dei semper recedebat inormis.
Ad quos emundandos saepe Deus misit alumnos,
Vt illos corrigerent deprauatos denuo Summo.

Excipere numquam uoluerunt dicta diuina,
Sed uoluntate sua saeuierunt semper inepti.
Mactabant iustos redarguentes illos inique,
Dum nollent accipere frenum disciplinae caelestis.
Esaiam serrant, lapidant Hieremiam erecti,
Iohannem decollant, iugulant Zachariam ad aras.
Et uenit et ipse, fuerat qui praedictus ab illis,
Et patitur, quomodo uoluit, sub imagine nostra.

Cuius in exitio omnis prophetia repleta est,
Dixerat hunc Daniel nouissimum esse prophetis.
Is erat, quem propter uates (de tuba canebant,
In sua uenturum propria, quem sui negarent.
Inprouidi semper et dura ceruice recalces,-
Dum respuunt formam, sacramenta legis amittunt.
Non illos iustitia humilis caro nata refregit,
Nec bonitas tanta aut aegrorum cura de uerbo.

O pia religio, o tam ueneranda maiestas, 7
Cuius medicina taliter in terra profecit!
Non ullum de ferro secuit, non enplastro curauit,
Sed sine tormento statim suo dicto sanauit.
Talia uidentes turbabantur mente Iudaei,
Qui magis inuidia ducti sunt in zelo liuoris,
Non respicientes prophetarum dicta sepulti,
Quod ueniret homo talis, qui dispergeret illos.

Sections 241 to 480

Quousque ueniret Dominus, prophetae canebant:
Ex eo, quo uenit, tacuit prophetia Iudaeis.
Post quem in exilium deuenerunt corde durato
Nec modo dinoscunt, quapropter sint talia passi.
Praedictum fuerat illis ab Esaia propheta
Et (a) Danihelo similiter perdere terram;
Quae non ante tamen, nisi dux ciuitatis in ipsa
Penderet in ligno, fieret deserta deinde.

Desubito qualis obfulsit gloria genti,
Vt fieret populus, populus qui non erat ante!
Non fuit adtonitus Esau, dilectus a patre,
Iunior quod frater primitiua tolleret ille?
Sic nec synagoga potuit cognoscere tempus,
Quando et quo duce caderet de suo priuato;
Sicut erat scriptum, quod auis sua tempora norunt,
Nam populus iste non me intellexit adesse.

Ventum est, ut ipse dominator caeli ueniret:
Secundum scripturas non est conputatus ab ipsis.
Praescius hoc fuerat Dominus, quasi cuncta qui nouit;
Idcirco per ora prophetarum ista praedixit.
Gens ceruicosa nimis semperque rebellans
Dum sibi primatum uindicaret, causa resecta est.
In quorum stadia gentiles esse praefecit;
Dixerat hoc ante: Gentes sperabunt in ipsum.

Nam lapis inmissus ipse est in fundamina Sion,
Crederet in quo qui, is haberet uitam aeternam.
Hunc sanctum sanctorum Daniel perungui designat
Et exterminari post illum chrisma regale.
Dauid illum dixit clauis configi silentem:
Effoderunt, inquit, manus meas et pedes ipsi.

Salomon quoque tam aperte de illo prophetat,
Occidamus iustum! dicturos esse Iudaeos.

Hieremias totidem crucem figurate demonstrat:
Venite, mittamus lignum in pane! dicentes.
Dux autem ipsorum Moyses praeconiat illis:
Ante tuos oculos pendebit uita necata.
Hic pater in filio uenit, Deus unus ubique:
Nec pater est dictus, nisi factus filius esset.
Nec enim relinquit caelum, ut in terra pareret,
Sed, sicut disposuit, uisa est in terra maiestas;

De uirtute sua carna(liter na)sci (se fecit)
* * * * * *
* * licet facere fimbriam unam.
Iam caro Deus erat, in qua Dei uirtus agebat.
Quid, quod prophetae canunt, inuisibilem esse uidendum,
Vt claritas tanta fieret homo quoque pro nobis.
Nec populus noster prosilisset in noua lege,
Si non Omnipotens ordinasset ante de nobis.

Hic erat Omnipotens, cuius <in> nomine gentes
Crederent omnino, quod propheta dixit Esaias:
Exurget in Israel homo de radice Iesse,
In illum sperabunt gentes, cuius signo tuentur.
Et alter dixit testem illum esse per orbem,
Manifestari eum principem nationibus ipsum.
In psalmis canitur: Dominus regnauit a ligno;
Exultet terra, iocundentur insulae multae.

Sic et patriarchae Iacob benedictio uera
Paruit in gentes: Hic erit spes gentium, inquit.
Sub caelo non aliud nomen est nisi Christi praelatum
In cuius nomine crediderunt gentes ubique.
Non ita suademur credere pro tempore clauso, ,
Sed propter futurum tempus, in aeterno uiuentes.
Haec speranda nobis spes est, sempiterno frunisci,
Non ista, quae fragilis cito mutat gaudia nostra.

Sint licet diuitiae prae oculis laute fruendae,
Excluderis illis substituta morte caduca;
Aut si persenera[ne]ris, horrescis ipse uiuendo,
Aut si ualetudo fuerit mala, quo tibi uita?
Tormentum est totum, quo(d) uiuimus isto sub aeuo;

Hinc adeo nobis est spes in futuro quaerenda:
Hoc Deus hortatur, hoc. lex, hoc passio Christi,
Vt resurrecturos nos credamus in nouo saeclo.

Sic Dei lex clamat: fieret cum humilis Altus,
Cederet infernus, ut Adam leuaretur a morte,
Descendit in tumulum Dominus suae plasmae misertus
Et sic per occulta inaniuit fortia mortis.
Obrepsit Dominus ueteri latroni celatus
Et pati se uoluit, quo magis prosterneret ipsum.
Ille quidem audax et semper saeuus ut hostis,
Dum sperat in hominem saeuire, uictus a Summo est.

Per quod prius hominem prostrauerat morti malignus,
Ex ipso deuictus; unde nobis uita prouenit.
Adam degustato pomo mori iussus obi<u>it;
Cuius de peccato morimur sic et omnis itemque.
Sed iterum dixit Dominus: De ligno uitali
Si sumpserit ille, in aeternum uiuat honestus.
Mors in ligne fuit et ligno uita latebat,
Quo Deus pependit Dominus, uitae nostrae repertor.

Hoc lignum uitae Dominus praedixerat esse,
Vt, qui credit ei, sic sit quasi sumat abinde.
Et sumit et gustat suauiter Dei summi praecepta
Et discedit, quoniam potior resurgit, a morte.
Qui credit in Christo, de ligno uitae degustat,
Quo fuit suspensus Dominus, (a) Moyse praedicto.
Hunc ipsum Esaias humilem denuntiat esse
Et nimis deiectum, fuerit quasi serui figura:

Et uidimus illum, nec erat praeclarae figurae,
In plaga depositus homo, sciens omnia ferre.
Hic dolet pro nobis et peccata nostra reportat,
Et pro facinore nostro Deus tradidit illum.
Qui, cum uexaretur, tacuit sicut, agnus ad aras.
Hic homo iam non erat, sed erat Deus caro pro nobis;
Quo palam apparet hoc [erat] Dei nomen oriri,
Quod modo praeclarum nomen apud gentes habetur.

Hoc Malachiel canit propheta, qui et angelus ipse, .
Cum et ludaeorum reprobet sacrificia dicens:
Non erit acceptam mihi sacrificium uestrum,
Sed in omni loco offerunt meo nomini gentes,

Apud quos eximium nomen meum magnificatur,
Qui sine cruore offerant meo nomini munde.
Nam fuit is ipse humilis, latens nomine magno,
Qui de semet ipso per ora prophetica clamat:

Contumax non sum, ait, neque contradico nocenti,
Dorsum quoque meum posui ad flagella caedendum
Maxillasque meas palmis feriendas iniquis
Praebui nec faciem auerti sputis eorum.
Stultitia subiit multis!, Deum talia passum,
Vt enuntietur crucifixus conditor orbis.
Sic illi conplacuit consilium neminis uso —
Nec alius poterat - taliter uenire pro nobis.

Mortem adinuenit, cum esset inuidus, hostis,
Quam ebibit Dominus passus, ex inferno resurgens.
Idcirco nec uoluit se manifestare, quid esset,
Sed filium dixit se missum fuisse a patre.
Sic ipse tradiderat semet ipsum dici prophetis,
Vt Deus in terris Altissimi filins esset.
Hoc et ipse fremit, humilis in carne cum esset,
Testaturque patrem, ut ora prophetica firmet.

Ex Israel legimus hominem resurgere talem;
Et homo est, inquit, et quis eum nouit in ipsis ?
Hieremias ait. Hic Deus est noster aequalis,
Post haec et in terris uisus est conuersatus humanis.
Esaias autem: Tu es Deus, et nesciebamus:
Et Deus in te est, et praeter te non alter habetur.
Et quis in occasum prophetarum lege ueniret?
Cantate Domino, nomen est Deus illi, qui uenit!

Et psalmus de ipso quartus quadragesimus inquit:
Exaltabor ego in gentibus nomine magno.
Et alibi legimus: Hodie te genui, fili;
Pete, et dabo tibi, et habebis gentes heredes.
Certe iam apparet, qui sit Deus et quis in ipso,
Et cuius in nomine crederemus gentes ubique: .
Dictum est Christo meo, teneo cuius dexteram, illud:
Exaudiant gentes, et imperet gentibus ipse.

Quid plurimis opus est, cum res tam aperte probatur,
Cum is, qui taxatur, populus iam in illo laetatur?
Illi autem miseri, qui fabulas uanas adornant •

Et magum infamant, canentibus rostra elusissent.
Quales eos dicam? antequam dispersi fuissent,
Quos nec exulatus fregit nec seruus ipsa.
Si magus adfuerat, cur ergo prophetae canebant
Venturum e caelo, ut esset spes gentium ipse?

Si false de ipsis pronuntiant perdere terram,
Quod prouenit de eis, sic erint et falsa de illo.
Sed quia sunt semper spreti, quod cruenti fuerunt,
Contra suum Dominum rebellant dicere magum.
Nec uolunt audire, quae dixerunt uates in illos,
Quod non intellegerent in totum fine sub ipsa.
Ipse Deus illos descripsit: Pectore clauso
Nec uideant oculis nec intellegant corde durato;

Incrassauit enim cor populi huius iniqui,
Vt nihil agnoscant, donec meo uerbo sanescant.
Praedictus est Deus carnaliter nasci pro nobis,
Vt fieret illis merito cruciatio maior:
Ecce dabit Deus ipse uobis signum ab alto:
Concipiet uirgo et pariet terra caelestem;
Emmanuel autem uocetur, iusserat illos;
Quod lingua Latina \'Dens nobiscum\' euoluit.

Audite, quod ipse nutriretur melle, butyro,
Et Samariam caperet, uerbum priusquam loqueretur.
Sed haec est historia clausa, de qua docti reuoluunt,
Vt paruulus lactans sine pugna praedas iniret;
Passio cuius praedicta est taliter ante,
Vt Deus passibilis fieret profuso cruore.
Esaias ait: Tamquam ouis ductus ad aram,
Nec uoce clamauit, patienter omnia gessit.

Suffigitur clauis, quod Dauid praedixerat olim;
Quem et potauerunt secundum scripturas acetum.
Et in uestimentis meis, dixit, sortem[que] miserunt,
Quod factum, et legimus in illo omnia gesta.
Fuerunt et tenebrae factae tribus horis a sexta
Festinauitque dies inducers sidera noctis.
Praedictum hoc fuerat fieri per prophetam Amos,
Vt tegeret subito sese per sollemnia sancta.

O mala progenies, * * subdola fronte!
Generaui suboles, dixit Deus, qui me negarent.

Et dixit: Audite uocem tubae. — Nolumus, aiunt.
Hoc dicit Ezechiel: Audient ergo gentes a longe.
Vno uolo titulo tangere librum Deuteronomium:
In caput eritis, gentes ; nam increduli retro.
Si respuunt certe omnia supra dicta rebelles,
S(c)ite quid opponunt, cum res tam aperte dicatur?

Videte iam ergo, dubii qui nunc usque natatis,
Quod gentes in Domini fuerint scriptura priores.
Nunc ergo fas est credere, quem libri designant,
Non idolis uanis, qui frustra pro uita coluntur,.
Nec istis adiungi uoluptuosis et sine freno,
Qui magis luxurias diligunt quam Summi praecepta.
Non est culpa satis una, qui credere nolunt,
Sed magis infamant: In puteum misimus illum.

Quapropter et Dominus indignatus inrigat illos:
Propter uos nomen meum blasphematur in gentibus, inquit
Si missus in puteum, sed resurgere quare clamatur ?
Ab inferis, Domine, animam meam inposuisti:
Ego dormiui, ait, et somnum cepi securus;
Auxilio . Domini surrexi, nihil mali passus.
Et iterum dicit: In infernum non derelinques
Nec dabis sanctum tuum interitum quoque uidere.

Hic personans ait: Fili prophetae, ascendo,
Vt Dominum dicam passum per miseriam summum.
Et [in] libro psalmorum de Domini morte clamatur,
Non ut illi putant Dauid de ipso referre.
Aut si putant illud, congruunt uniuersa; quae dixit?
Non est flagellatus Dauid nec cruce leuatus.
Quid? Vaticinantur Iudaei more Saturni? .
In fabulas coeunt, cum iam declinetur in illos?

Non quasi maleficum alapantur cruce leuatum.
Insciis, indoctis, ignorantibus talia fingunt.
Quis Deus est ille, quem nos cruce fiximus? aiunt
Nolentes respicere scripturas, corde caecati.
Ecce canit alius repetens iterumque propheta,
Cuius uoce tamen titulatur talis edictus:
Nunc exurgam, ait Dominus, nunc clarificabor,
Nunc exaltabor, humilem quem ante uidistis;

Nunc intellegitis, nunc erit confusio uestra: .
Vana cogitatis, ideo uos ignis habebit.
Haec Esaias ait. Tunc sic et ipsa maiestas,
Cum esset in carne, profitetur ipse quis esset:
Nemo meam animam poterit auferre conatus,
Sed ego sponte a me pono eam meo decreto.
Ipse potestatem habeo de illa ponendi
Et sumendi iterum habeo potestatem in illam.

Apertius autem de iusti morte clamatur,
Vt pareat magis induratos esse Iudaeos:
Ecce perit iustus, nec quidem intellegit ullus;
Sed erit in pacem huius sepultura dilecti.
Quid illi infamant in puteum esse demissum,
Cum legimus illum sepulturae traditum esse?
Ignominiosi, crudeles, caeci, superbi,
Qui magis de facto deberent lugere, plaudent!

Sections 481 to 721

Inspiratus enim Salomon de ipso prophetat
Et magis insequitur plenius ostendere iustom:
Circumueniamus iustum, si qui [nobis] grauis esse uidetur,
Qui nostris operibus contrarius ualde resistit;
Exprobrat in totum nihil nostra lege teneri,
Adhuc et adfirmat filium Altissimi esse.
Omnimodo reprobat et nugaces aestimat esse,
Abstinet et sese a nobis et in altera uadit;

Nos inmundos ait et innouat altera iusta,
Et sibi laetatur Dominum patrem esse caelorum.
Ergo, si sermones illius sunt ueri, probemus;
Temptemus hunc Deum uidentes, quid fit in illum;
Interrogemus eum omni cum tormento quietum,
Condemnemus eum turpissima morte\' dicentes,
Haec cum fecissent, capita suspensa monebant:
Saluum illum faciat pater, aut descendat abinde!

Vt eos caecos Salomon ostendat aperte,
Sic, quasi nunc referat, et fecisse talia culpat:
Dum ista cogitant, ducti sunt in errore nefando;
Excaecauit illos malitia sua saeuire.
Ecce quia caeci ipsi sunt et alteros aiunt,
Dixit illis Salomon: Nescierunt Dei secreta.
Quaecumque dixerunt testes uniuersi priores,
In Christo fuerunt facta. Aut in altero dicant?

Quod ipsum si cupiunt facere frustrantes in ore,
Ipsi se subsannent, uideant cam (im)pletum in illo.
Quis fuit is iustus, de quo prophetae canebant,
Cum nemo sit iustus in terris, nisi [e] caelo uenisset?
Dauid enim princeps peccauit amando puellam,
Peccauit et Salomon; et tamen paenituit illos.

Cum isti tam clari et insigni reges eorum
Non fuerunt iusti, sed ipsi de iusto canebant,

Nec quidem Esaias uates de se talia dixit,
Qui fuit ab rege Manasse de serra secatus.
Alter lapidatus, alter est mactatus ad aras,
Alterum Herodes iussit decollari reclusum.
Omnes isti uates alia sunt morte perempti,
Quod Dominus ligno pependit, uoce Moysi :
\'Non quasi homo Deus suspenditur\', intimat ante;
\'Aut non ceu filius hominis minas patitur\', inquit.

Sic Dominus ipse cum uenisset, ista secutus:
Oportet me, inquit, reprobari uoce Moysi.
At ego non tota, sed summa fastigia carpo,
Quo possint facilius ignorantes discere uera.
Hi autem iniqui, (qui) subdole uiuere quaerunt,
Iam semel cruenti perseuerant fingere uana.
Infatuant stultos magis euanescere dictis,
Quod crucifixus ⟨sit⟩, cum sic oporteret eundem.

Sic enim disposuit propter primitiui ruinam;
Non solum pro illo, et pro nobis uenit e caelo.
Constituit populum nonum suo nomine firmum,
Iuxta prophetias conpleuit omnia Christus.
Ecce noua facio, Esaias clamat in ipso,
Et nemo priora reputet nec antiqua sequatur.
Haec noua sunt hodie sub nostra lege profecta,
Quod gentes in Christo credi(di)mus dicto Moysi.

Ille duos populos praedixerat esse futuros,
Et quidem minorem populum praecellere dixit.
Sed isti nequitiae pleni iam desperato furore:
Lex nobis est data, dicunt, uos unde uenistis?
Si nobis obsistunt, putant et resistere Summo,
Qui uoluit nobis bonus esse * * ?„
Nec illud respiciunt ceruicosi, setis (e)rectis,.
Quod semper innocuos cruciarunt lege uitata.

Sic Deo fecerunt, quod erant consueti, crudeles,
Et filios sese audent adhuc dicere Summi.
Iam qualiter (iterum) resurrexit, supra notaui,
Non de uoce mea, sed diota prophetica dixi.
Praedixerat autem discipulis cuncta de sese,

Qualiter a populo pateretur Petro negante;
Et quia de tumulis resurgeret tertio die,
Dixerat et ipsud, et conpleuit omnia dicta.

At ubi surrexit, uenit ad apostolos ipse
Et stetit illis in medio: Pax uobis, inquit.
Inter quos discipulos non adfuit unus orantes;
Cui cum referrent, discredere coepit et addit:
Si prius non digitum misero, ubi claui fuerunt
Aut ubi percussus de lancea, non ego credo.
Tunc die Dominica rursus remeauit ad illos
Et stetit illis in medio: Pax uobis, inquit.

Et statim adgreditur Thomam incredulum illam:
Accede propius et contange corpus ut ante.
Non ego sum umbra, mortuorum qualis habetur:
Vestigium umbra non facit; considera uulnus.
Extendit palmas; at ille tangere coepit
Et manum in latere, fuerat quo lancea fixa, .
Misit et exinde prostrauit se precando:
Tu Deus et Dominus uere meus! Contra quem ille:

Haec quia uidisti, cresdidisti, sed illi felices
Posteri, qui credunt audito nomine tantum.
Quadraginta dies cum illis ex ordine fecit,
Edocuit illis multa, quae saeclo uenirent.
Post cuius ascensum miracula multa fecerunt,
De uerbo curabant infirmos in nomine Christi.
Qui si talis erat, qualem isti perfidi dicunt,
Fortia non fierent testium de uerbo per illum.

Ascendit in caelos, sicut et scriptura canebat:
Excipite regem, principes, caelorum in altis!
Quid amplius opus est recitare cuncta de lege?
Sufficiunt ista rudibus, bono corde tuenda.
Quod si nec ipsi uolunt scire Deum ista legendo,
Ipsi sibi reputent, quo uenerint, illo quo nolunt.
Vergilius legitur, Cicero aut Terentius item;
Nil nisi cor faciunt, ceterum de uita siletur.

Quid iuuat in uano saecularia prosequi terris,
Et scire de uitiis regum, de bellis eorum?
Insanumque forum cognoscere iure peritum,
Quod iura uacillant, praemio ni forte regantur?

Sit licet defensor, sit licet diuinus orator,
Nil morte proficiet, si uiuus in Christo negauit.
Immo prius quaerat, ubi sit sua uita redacta!
Sic fuerit sapiens, si ceterum uituperatur.

Illi legunt iura et discunt proloquia mira,
Sed superant miseros, pro quibus loquuntur, agendo.
Infelix est ille, qui uenerit illis in ore;
Illi ferunt laudes et ille uictoria(m) damnis.
Stat miser in medio mutus, cui plus dolet intus;
Illi tonant Ore et ille silentio nummis.
Obstrepit interea uox adornata diurnum,
Et saepe fit causa melior mala pluscula dando.

Hinc pretium quaerit sapiens, hinc uincere gaudet,
Etsi praue gerat, dum sit modo uictor, aegrotat.
Nil sua de causa tractat, cum lucra conatur;
Spem subit alterius et sua(m) posterga remittit.
Multi de successu rapiuntur saeculi silua;
Dum gaudent in breuia, remanent a gratia Christi;
Dum cupiunt multa oculo, dum augere quaerunt,
Nec Deus est illis aliquid nisi saeculi uita.

Pro uentre satagitur, agon est pro ipso diurnum,
Et uerum agonem spernunt pro aeterna salute.
Quisque quasi uigilat sacculo, laudatur acutus;
Nam qui Deum sequitur, copria iudicatur ab ipsis.
0 nimium felix, saecularia si quis euitet!
Sit stultus aliis, sapiens dum sit Deo summo.
Ipsa spes tota, Deo credere, qui ligno pependit;
Foeda licet res est, sed utilis uitae futurae.

Nam populus ille primitiuus illo deceptus,
Quod filium dixit, cum sit Deus pristinus ipse.
Hic praeibat eos in columna nubis et ignis,
Quando de Aegypto liberauit illos ad unum.
Hic crudele nefas inperat de unico nato,
Vt probaret Abraham, cui dixit: Parce! (d)e caelo
Angelus. Et Deus est, hominem totidemque se fecit,
Et quidquid uoluerit, faciet: ut muta loquantur.

Balaam sedenti asinam suam conloqui fecit .
Et canem, ut Simoni diceret: Clamaris a Petro!
Paulo praedicanti dicerent ut multi de illo,

Leonem populo fecit loqui uoce dioina.
Deinde, quod ipsa non patitur nostra natura,
Infantem fecit quinto mense proloqui uulgo.
Hic erat uenturus conmixtus sanguine nostro,
Vt uideretur homo, sed Deus in carne latebat.

Non senior ueniet nec angelus, dixit Esaias,
Sed Dominus ipse ueniet se ostendere nobis.
Hunc mare pertimuit, hunc uenti, hunc tartarus ipse;
Agnouit Dominum omnis creatura latentem.
Solus nequam populus centriam erexit ad illum:
\'Absit, ut sic Dominus uenerit in tali figura
Hic, sicut in terra, super fluctus maris inibat
Et uentis inperat, placidum ut redderet aequor.

Hic legem tartaream derupit uerbo praesenti
Et leuat de tumulis Lazarum die quarta fetentem.
Nam qui ferebatur, cum fuisset obuius illi:
Surge, inquit, iuuenis! Et [re]surrexit ille de ferclo.
Archisynagogi filiam deprecatus a patre
Iam exanimatam plangentibus suscitat illam.
Mutum loqui fecit et surdum audire praesertim.
Et caecum ex utero natum, ut uideret in auras.

Post XXXVIII annis paralyticum surgere iussit,
Quem admirarentur grabatum in collo ferentem.
Cuius uestimento tacto profluuio sanata est.
Quinque panes fregit hominum in milia quinque
Et quattuor milia iterum de septem refecit.
Plenius ut sese Dominus demonstraret adesse,
Commutauit aquas, fierent ut optima uina.
In nuptias fuerat inuitatus matre cum ipsa;

Quod fuit rogatus, subueniret uino defecto,
Tunc iussit implere hydrias uelocius aqua,
Quod prius gustauit et sic ministrari praecepit.
Nec sic potuerunt Dominum cognoscere factis,
Sed insanierunt, quasi nequam perdere morti.
Quod ipsum concedit, quoniam sic pati decreuit;
Si tamen crediderint, ueniam tunc demum habebunt.
Hic est primogenitus per prophetas ante praedictus,

Vt uocitaretur in terris Altissimi proles.
Felices, hominum spem suam in isto qui ponunt,

Nam insipientes tamquam maledictum euitant.
Aeternitas illi praeparatur, Christo qui credit,
Vt socius Dei sit homo post funera uiuens.
Lex et prophetae docent, qui sunt Dei digni caelorum
Et quibus absconsa reuelantur aurea saecla.
Per tot uates numero de filio Dei clamatur,

Et cluserunt oculos fili Dei primi uocati;
Qui scelere facto non sunt recordati legendo,
Sed perseueranter: Nos sumus electi! dicentes.
Adhuc infatuant profanos balneis ire,
Quos faciunt mundos ipsi Deo summo placere.
Aqua lauat sordes, non intima cordis iniqua,
Nec sacra sacrilega potuerunt lauare curata.
Non ita praecepit Dominus, sacra ferre malignis;

Et locu(tu)s iterum, ab idolis mundos haberi:
Nemo sibi faciat simulacrum daemonis, inquit;
Nam dixit et illis: Idolis seruire nolite.
Si Deus praecepit ab idolis ualde caueri,
Quid illi decipiunt gentes puros esse lauacris?
Immo cum recipiunt tales, docere deberent
Seruire non aliis, nisi tantum Summo placere.
Dum facinus quaerunt obumbrare Christi de morte,

Aperiunt ualuas passim, ut intretur ad illos.
Hinc ergo depereunt, qui se putant puros ab aqua
Posse Dei fieri, conscientes ante latroni.
Nunc colit in uano quodlibet, nunc sancta requirit,.
Nescit ubi primum occurrat inscius ille,
Ac idolis seruit, iterum tricesima quaerit;
Nunc azyma sequitur, qui castum sederat ante.
Hoc Deo non placuit participes daemonum esse,

Qui legem instituit, fieret quo transitus inde.
Sunt tibi propositae duae uiae: elige, quam uis,
Nec enim te findes, ut possis ire per ambas;
Sed tamen ex ipsis opportunam quaerere debes;
Ne cadas in fauces latronum, cautior esto.
Vnum quaere Deum, qui quaerit hostia nulla,.
Vt possis abolitus resurgere saeclo nouato.
Quid malos attendis et iudicas sanctos iniquos,

Qui tibi nullum uerbum de lege demonstrant?
De uirtute Dei refertur, quam fecit in illos;
Nam de sua facta scelerata dicere nolunt,
Semper homicidae semper manibusque cruentis,
Quos Dominus numquam potuit domare monendo.
Suffecerat illis per ignauiam tanta fecisse
Et dicere: Scriptum sic erat, modo credere fas est.
Sed Dominus ipse obscurauit sensus eorum,

Indurauit eos sicut Pharaonem in ipsis;
Nec preces eorum dixit exaudire se uelle
Et de terra sua proiecit illos iratus.
Cum filios illos utique iam dixerat ante,
Necesse uoluerat bono corde uiuere natos;
Quando pater gaudet, cum sit bonus filius illi;
Quod si malus fuerit, execretur odio natum.
Contrarium nullus patitur sibi filium esse,\'

Sections 722 to 961

Excluditur omnis caritas crudele de nato,
Nec facit heredem illum ex asse suorum,.-.
Quae si prius poterit consumere, gaudet in illum.
Impium et saeuum sobolem, rei suae tyrannum,
Nec obuium patitur genitor commotus ab illo.
Quid isti praesumunt, cum sint adoptati, dicentes:
Ex omni populo nos sumus carissimi Summo?
Parricida patris semper et superbus in illo.

Carus esse potest ant heres iure uocari?
Si patres carnales tales detestantur alumnos,
Quanto magis Dominus, superant cui fili legendi!
Mansuetis, humilibus, obsequio plenis alumnis
Diuidunturque bona, non impiis neque tyrannis.
Adoptati fuerant manifeste fili Iudaei,
Sed in testamento consecuti sunt impii nomen.
Ipsi sibi reputent: Scelere commisso cruenti

Qui poterant utique participes esse bonorum?
Quid nobis strident, quid nos aemulantur heredes ?
Fecissentque bonum, et erant in parte legati.
Nec hodie tacent et Christo credere nolunt,
Qui fuerat illis salutaris lege praedictus;
De quo iam audistis qualiter prophetae. canebant:
Venturum in terras Dominum, quem gentes adora[bu]ut.
Hunc certe nos ipsum admonent cognoscere Summum, :

Qui renouat hominem, peccata pristina donat.
Nam et comminatur deorum cultoribus ipse :
Sacrificans idolis periet in morte secunda.
Quisque deos ergo sequitur fabricatos in auro,
Argento uel lapide, ligno uel aeramine fusos,
Cum ipsis infelix mittetur in igne refectus,

Nec ibi permoritur, sed dat cruciatus iniquus.
Sunt homines pecorum similes in ista natura,

Qui nolunt accipere frenum Dei summi uagantes;
Cum ipsi non durant seruorum talia ferre,
In quorum saepe descendunt sanguine diri.
Dicentes adiciunt: \'Nihil est post funera nostra;
Dum uiuimus, hoc est\', et incumbunt more suillo;
Nulla sit luxuria, quae nos pertranseat aeuo;
Dum tempus est uitae, perfruamur omnia saecli.\'
Indisciplinati clementiam Dei refutant

Strenia(m) sectantes, quasi sola uita sit ipsa.
Sic redeunt a Deo, qui promittit uiuere semper:
Contra bonum pugnant, cum sit repugnandum iniquo.
Errauimus omnes manifesto, saeculo suasi,
Sed gratia Domini prouocamur credere legi.
Propterea uenit et fecit trophaea latenter
Et fuit homo Deus, ut nos in futuro haberet.
Sed plurimi pereunt, qui putant utrisque placere,

Idolis atque Deo, placeat cum nemo duobus.
Ynus est in caelo Deus caeli, terrae marisque,
Quem Moyses docuit ligno pependisse pro nobis.
Ynde quidam errant jgnaui talia passum,
Non satis intenti mysterio Dei secreto.
Inuidia Diaboli mors introiuit in orbem,
Quam Deus occulte destruxit uirgine natus.
Qua natiuitate excordantur caeci Iudaei,

Stulto<S> infatuant scelere commisso cruenti.
Nemo potest ullum excusamen dicere postquam,
Cum modo sit nobis facultas data credendi.
Non uenit in uano Dominus in terris e caelo,
Sed uenit, ut faceret populum suo nomine dictum.
Quem si quis confessus non erit in ista natura,.
Perdit et quod uixit, et in poena sero declamat;
Aut certe, dum sperat exspectans credere canus,

Excluditur diu(t)ius ab aeterna uita defunctus.
Ergo iam ad illum citius recordari debemus.
Qui nobis post obitum pollicetur reddere uitam.
Insuper hoc addit, inmortales esse futuros
Et frui, quod oculus non uiderat ante, uidendo.

Sex milibus annis prouenient ista repletis,
Quo tempore nos ipsos spero iam in litore portus.
Tunc homo resurget solis in agone reductus

Et gaudet in Deo reminiscens, quid fuit ante;
Qui, sicut audiuit fragilis in pristina carne,
Cum sit incorruptus, recognoscit ante promissa.
Quam gloriam mirans homini prouenisse sic inquit:
Qualiter audiui prius, sic singula cerno.,
Haec pariter omnes clamant ab inferno leuati:
Quemadmodum ante audiuimus, ecce uidemus!
Cedet dolor omnis a corpore, cedet et ulcus,

Nec erit anxietas ulla nisi gaudia semper.
Quisque tribus credit et sentit unum adesse,.
Hic erit perpetuus in aeterna saecla renatus.
Sed quidam hoc aiunt: Quando haec uentura putamus ?
Accipite paucis, quibus actis illa sequantur.
Multa quidem signa fient tantae termini pesti,
Sed erit initium septima persecutio nostra.
Ecce iam ianua(m) pulsat et cingitur ense,

10 Qui cito traiciet Gothis inrumpentibus amne.
Rei Apollyon erit cum ipsis, nomine dirus,
Qui persecutionem dissipet sanctorum in armis.
Pergit ad Romam cum multa milia gentis
Decretoque Dei captiuat ei parte subactos.
Multi senatorum tunc enim captiui deflebunt
Et Deum caelorum blasphemant a barbaro uicti.
Hi tamen gentiles pascunt Christianos ubique,

Quos magis ut fratres requirunt gaudio pleni.
Nam luxuriosos et idola uana colentes
Persecuntur enim et senatum sub iugo mittunt.
Haec mala percipiunt, qui sunt persecuti dilectos :
Mensibus in quinque trucidantur isto sub hoste.
Exurgit interea sub ipso tempore Cyrus,
Qui terreat hostes et liberet inde senatum.
Ex infero redit, qui fuerat regno praeceptus

Et diu seruatus cum pristino corpore notus.
Dicimus hunc autem Neronem esse uetustum,
Qui Petrum et Paulum prius puniuit in urbe.
Ipse redit iterum sub ipso saeculi fine

Ex locis apocryphis, qui fuit reseruatus in ista.
Hunc ipse ⟨se⟩natus inuisum esse mirantur;
Qui cum apparuerit, quasi deum esse putabunt.
Sed priusquam ille ueniat, prophetabit Helias

Tempore partito, medio hebdomadis axe.
Conpleto spatio succedit ille nefandus,
Quem et Iudaei simul tunc cum Romanis adorant.
Quamquam erit alius, quem expectant ab oriente„
In nostra caede tamen saeuient cum rege Nerone.
Ergo cum Helias in Iudaea terra prophetat,
Et ⟨signo⟩ signat populum in nomine Christi; .
De quibus quam multi quoniam illi credere nolunt,

Supplicat iratus Altissimum, ne pluat inde:
Clausum erit caelum ex eo nec rore madescet,
(Et) flumina quoque iratus in sanguine uertit.
Fit sterilis terra nec sudat fontibus aquae,
Vt famis inuadat; erit tunc et lues in orbe.
Ista quia faciat, cruciati nempe Iudaei
Multa aduersus eum conflant in crimina falsa,
Incenduntque prius senatum consurgere in ira

Et dicunt Heliam inimicum egere Romanis.
Tunc inde confertim motus senatus ab illis
Exorant Neronem precibus et donis iniquis:
Tolle inimicos populi de rebus humanis,
Per quos et di nostri conculcantur neque coluntur.
At ille suppletus furia precibusque senatus
Vehiculo publico rapit ab oriente prophetas.
Qui satis ut faciat illis uel certe Iudaeis,

Immolat hos primum et sic ad ecclesias exit.
Sub quorum martyrio decima pars conruit urbis
Et pereunt ibi homines septem milia plena.
Illos autem Dominus quarto die tollit in auras,
Quos illi uetuerant sepultura condi iacentes;
Suscitanturque solo inmortales facti de morte,
Quos inimici sui suspiciunt ire per auras.
Territi nec sic sunt, sed magis intra crudescunt

Ad populum Christi execrantes odio toto.
Indurauit enim Altissimus corda nefanda,
Sicut Pharaoni prius indurauerat aures.

Hic ergo rex durus et iniquus, Nero fugatus,
Pelli iubet populum Christianum ipsa de urbe,
Participes autem duo sibi Caesares addit,
Cum quibus hunc populum persequatur diro furore.
Mittunt et edicta per iudices omnes ubique,

Vt genus hoc hominum faciant sine nomine Christi.
Praecipiunt quoque simulacris tura ponenda
Et, ne quis lateat, omnes coronati procedant.
In ista historia si fidelis ire negauit,.
Feliciter erit: sin uero, de turba fit unus.
Nulla dies pacis tunc erit nec oblatio Christo,
Sed crnor ubique manat, quem describere uincor;
Vincunt enim lacrimae, deficit manus, corda tremescunt,

Quamquam sit martyribus aptam tot funera ferre;
Per mare, per terras, per insulas atque latebras
Scrutanturque diu, exsecratos uictima(m) ducunt.
Haec Nero tunc faciet, triennii tempore toto
Et anno dimidio statuta tempora conplet
Pro cuius facinore ueniet uindicta letalis,
Vt urbs et populus ille cum ipso tradatur,
Tollatur imperium, quod fuit inique repletum,

Quod per tributa mala diu macerabat omnes.
Exurget iterum in istius clade Neronis
Rex ad oriente(m) cum quattuor gentibus inde,
Inuitatque sibi quam multas gentes ad urbem,
Qui ferant auxilium, licet sit fortissimus ipse,
Inplebitque mare nauibus cum milia multa,
Et si quis occurrerit illi, mactabitur ense;
Captiuatque prius Tyrum et Sidona subactas,

Nam inde finitimae gentes terrore fatiscunt.
Hinc lues, hinc bella, hinc fames, hinc nuntia dura
Miscenturque simul, quo fiat turbatio mentis.
Interea fremitum dat tuba de caelo repente,
(895) Cuius omni loco sonitus praecordia turbat.
Videbitur et tunc ignea quadriga per astra
Et facula currens, nuntiet ut gentibus ignem.
Siccatur fluuius Euphrates denique totus,

Vt uia paretur regi cum gentibus illis.
Persae, Medi, simul Chaldaei, Babyloni uenibunt,

Inmites et agiles, qui nesciant ulli dolere.
Hic ergo exoriens cum coeperit inde uenire,
Turbaturque Nero et senatus proxime uisum.
Et ibunt illi tres Caesares resistere contra:
Quos ille mactatos uolucribus donat in escam.
Exercitus quorum necesse est uictorem adorent,

Cum quo redeuntes in urbe mente mutata
Spoliant templa et, quidquid est intus in urbe,
Diripiunt mactantque uiros ingenti cruore;
Nonissime nudam adigunt incendio facto,
Vt neque uestigium eius appareat ultra.
Cuius in exitio tabescunt corda potentium
Nec se adinueniunt, in quo sint tempore, bruti.
Haec quidem gaudebat, sed tota terra gemebat;

Vix tamen aduenit illi retributio digna.
Luget in aeternum, quae se iactabat aeterna,
Cuius et tyranni iam tunc iudicantur a Summo.
Stat tempus in finem fumante Roma maturum,
Et merces adueniet meritis partita locorum.
Inde tamen pergit uictor in terra Iudaea,
Quem ipsi Iudaei specta⟨ra⟩ut uincere Romam.
Multa signa facit, ut illi credere possint,

Ad seducendos eos quoniam est missus iniquus;
Quem tamen e caelo increpat uox reddita Summi.
De Persida homo inmortalem esse se decit.
Nobis Nero factus Antichristus, ille Iudaeis;
Isti duo semper prophetae sunt in ultima fine.
Vrbis perditio Nero est, hic terrae totius;
De quo pauca tamen suggero, quae legi secreta.
Displicet interea iam sero Iudaeis et ipsi?,

Susurrantque simul, quoniam sint fraude decepti.
Exclamant pariter ad caelum uoce deflentes,
Vt Deus illis subueniat uerus ab alto.
Tunc Deus omnipotens, terminet ut cuncta, quae dixi,
Producet populum celatum tempore multe.
Sunt autem Iudaei, trans Persida flumine clausi,
Quos usque in finem uoluit Deus ibi morari.
Captiuitas illos ibidem redegit ut essent;

Ex duodena tribu noue(m) semis ibi morantur.
Mendacium ibi non est, [sed] neque odium ullum;
Idcirco nec moritur filius suus ante parentes;
Nec mortuos plangunt nec lugunt more de nostro,
Expeotant quoniam resurrectionem[que] futuram.
Non animam ullam uescuntur additis escis,
Sed olera tantum, quod sit sine sanguine fuso.
Iustitia pleni inlibato corpore uiuunt,

In illis nec genesis exercet impia uires.
Non febres accedunt in illis, non frigora saeua,
Obtemperant quoniam uniuersa candide legis;
Quae nos et ipsi sequemur pure uiuentes;
Mors tantum aderat et labor, nam cetera surda.
Hic ergo populus, qui nunc est extra repostus,
Siccato fluuio repetet in terra Iudaea;
Cum ipsis et Deus ueniet implere promissa,

Sections 962 to 1058

Qui per totum iter exultant Deo praesente.
Omnia uirescunt ante illos, omnia gaudent,
Excipere sanctos ipsa creatura laetatur:
Omni loco fontes exurgunt esse parati,
Qua graditur populus Summi cum terrore caelesti.
Vmbraculum [illis] faciunt nubes, ne uexentur a sole,
Et ne fatigentur, substernunt se montes et ipsi;
Praemittetur enim ante illos angelus Alti,

Qui ducatum eis pacificum praestet eundo.
Hi sine labore leuiter gradiuntur euntes
Et quasi leones, qua transeunt, omnia uastant.
Neque gens ulla quidem poterit resistere contra,
Si bellum intulerit, cum sit Deus ipse cum illis.
Expugnant gentes, ciuitates quoque deponunt,
Permissione Dei uiduant colonias omnes,
Auro uel argento locupletanturque praedando

Et sic honestati hymnos pariterque decantant.
Mox autem properant sanctae ciuitati paternae,
Expauescet enim terribilis ille tyrannus,
Et fugit ad reges Boreae cum concitu magno,
Vnde rapit populum, ut stet quasi contra (re)pugnans.
Cum properant autem exercitu Dei rebelles,
Sternunturque solo ab angelis proelio facto
(Et prensus ad⟩ulter, ipsius et pseudopropheta

Mittunt<ur in stagnum sub i)gnea p⟨o⟩ena uiuentes.
Quorum qui pn⟨m⟩ores, praepositi siue legati,
In looo seruorum rediguntur sancti (s) iniqui.
Interea sancti intrant in colonia sancta,
Qui Dei promissa capiant sine fine laetantes.
Exorant Deum pro mortuis uti resurgant,

Quod ipse promisit olim de anastasi prima.
Incipiet Deus iam tunc inimicis irasci,

Status (us)que dies quoniam aduenit iniquis.
Cum coeperit autem mundum iudicare per ignem,
Deuitatque pios et cadet super impios ignis.
Vix remanent pauci, qui referant talia facta,
Et qui reservantur, ut seruiant iustis, euadunt.
Post persecutionem sanctorum et funera tanta
Imminet ut ueniat dies detestabilis, ardens.
Ecce canit caelo rauca, sed ubique resultans,

Quae pauidat totum orbem in ruina cadentem.
Sol fugit incaute, subito fit noctis imago,
Et Deus exclamat: Quamdiu me ferre putasti?
Cuius signo dato pestis ruet aethere toto,
Cum strepitu tonitrui descendit impetus ignis.
Tunc aliud atque aliud fulmen iactatur ab astris,
Ignea tempestas furit reseruata tot annis.;-
Rugit pestifera clades, tremit excita tellus,

Nec, quo se auertat, prouidet gens omnis humana.
Stellae cadunt caeli, iudicantur astra nobiscum:
Turbantur caelicolae, agitur dum saecli ruina.
Suppetium nullum tunc erit et clamor inanis;
Non nauis accipiet hominem, non ulla latebra;
Nec illi subueniunt, quos ante pro magno colebant:
Quisque sibi satagit, sed nil profic<i>et illi;
His tantum proficiet, qui fuerint Christo notati;.

Ros ad illos erit, nam ceteris poena letalis.
Pars incredulorum seruatur molliter usta,
Vt genus ipsorum iterum se in ultimo plangat.
Quocumque se uertunt homines, uis ignea feruet;
Aer ipse mundi, qui placebat ante, crematur.
Quot strepitus caeli ingruentis fulmine dicam,
Cum ira tot annis collecta funditur omnis?
Hinc ignis, hinc tonitrua, hinc turbines, tot mala, feruunt,

Bapieturque polus subi<ta> ui mortis in umbram.
Partim terra tremens laxat fu(ndamina tota),
(Par)tim tonitrua disrumpunt moenia firma;
(Atque disturbantur m)uri sicut puluis in auras;
Saxa uolant, uen(tis nudantur) tecta domorum.

Vastantur patriae, prosternitur ciuitas omnis
* t * * osculum uestigio tradat.
Tot crepitus, tantos fragores t<antasque) ruinas

Quis po(te)rit ferre aut na<u>f<ra>gia tanta <uitare)?
Quid misera mater faciet tunc paruolo dulci ?
Aut si pater natum piet, quid profic <i> et illi?
Vae refugis Domini, uae et sine Christo n<e>fa<n>dis,
Quorum et laeta(n)tes iudicantur <et> pie flentes!
Pla(nget prae)terea mugitibus tota natura,
Donec cesset furia (tandem conp)leta caelestis.
Tunc mensibus septem remundabitur terra per ignem

Et qui f(uit> humilis ueniens de caelo uidetur.
Cum illo descendent angeli claritatis aeternae,
Rumpen<tur) et tumuli, exurgent corpora iusta;
Quae rapiunt nubes et portant <obui)a(m Ch)risto
In a(e)ra; Dominum <ex>cipiunt sancti uiuentes.
Suscitat e(t) illos), ut uideant gloriam eius,
Quem cruce fixerunt; sed denuo reddet in imis.
Vae miser<is> illis ! Testis est necatus ab illis.

Quod poenis ipsorum prouidi dolo t * *
* * nius sistic * * i
Haec non de inuidia canimus, sed fixa uidemus.
Cum iusti laetantur, <illi> in inferno cremantur;
Dau<id) illis dixit: Domine, redde ill⟨is⟩ iniqua!
Et si non crediderint, in umbra mortis abibunt. —
(H)ic utique poterat plebi suae laeta precari;
Cur (magis op)tauit: Descendant uiu(i) deorsum?

Ceteri qui fuer<int) in aduentum Christi de sanctis,

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***Commodiani Carmina*** edited by Bernhard Dombart (Wien, Österreich, Österreichische Akademie der Wissenschaften (ÖAW): 1887) Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum 15), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.